

School, Port Hope, and had heard an excellent report of the year's work; the new buildings were in every way admirably suited for their purpose.

He mentioned also Trinity Medical College, the Ontario Medical College for Women, and the Conservatory of Music. Among the affiliated Colleges, however, none were doing better than S. Hilda's; the number of members this year had increased considerably; the only thing to regret, was the inadequacy of the present building; he hoped, however, that this would very soon be remedied.

The lady Principal was to be congratulated on the success which had attended her careful training and admirable management.

\* \* \*

The Chancellor then made an appeal for aid to the University income, and ended by congratulating those who had just graduated and wishing them every success in their future life.

The Latin benediction was then pronounced and Convocation adjourned.

#### HONORATISSIME DOMINE, DOMINE CANCELARIE, ET TOTA ACADEMIA.

Decebat hercule, nos, qui in hac Academia ad pietatem et studia literarum alimur eum honorare penes quem, ut ludi magistrum sive informatorem Collegii Provinciae Ulterioris, tot puerorum adulescentiumque Provincialium institutio posita est. Sed ad majora pergo. Erat quondam tempus ubi Angli insulae tantulæ suae litora imperii terminos esse habebant, iidem coloniis trans Oceanum deductis ut vectigalibus utebantur, quippe qui, futuri plane imprudentes sibi tautum consulebant. Quid? Nonne ob hanc ipsam rem, Georgio III. regnante, coloni Americani funesto bello a patria sua desciscebant? Sed nunc aliter res se habet. Nunc in omni parte orbis terrarum imperium et Nomen Britannicum floret vigetque, pax Britannica colitur. Qui diu sparsi per orbem coloni erant iam magni fiunt populi, suas quisque sibi res administrantes. Quae civitates ne disjunctae aversentur, utque arctius inter se certo aliquo foedere sociatae cohaereant sunt qui cupiant et summo studio nitantur. Inter quos hic Georgius Parkin cum innumeros ob eam rem labores obicit, et eiusmodi bona consilia vehementer promoverit, a Regina nostra titulo insignissimo nuperrime auctus est. At quanti est haec totius imperii concordia! Iam nunc infensus nobis est orbis terrarum, oderunt exteræ nationes. Hinc increbuit Gallicus furor cum novarum rerum suspicione solitaque animi potentia; illinc importunitas Russica finibus nostris insidiatur. Veniet profecto dies, integra ut spero Re Publica, quam Patria nostra suos ab ultimis terrarum partibus in auxilium sibi convocabit. Et quis est omnium qui toti nostræ genti, una lingua, una mente, eandem Reginam pio animo veneranti, pro patria, domo, sacrис omnibus debellanti resistat! Qui igitur sua opera efficerit ut Concordia Imperii conjunctior sit, ut cognati populi, Oceano procul dissociati, arctiore vinculo inter se conscientur, illum satis quidem laudare non possumus, sed si quid honoris penes nos est, eo ornare etiam debemus.

Defero tibi, Cancellarie, Georgium Parkin, dignissimum qui ad gradum Doctoris in Jure Civili admittatur honoris causa.

Honoratissime domine cancellarie, quum nomen Episcopi Algomensis dico illum nomino quem tota ecclesia nostra, non in hac solum Diocesi, sed in ceteris etiam, cum insigni honore observat atque reveretur. Namque primum multos per annos Presbyter ad Sherbrooke in hac Provincia oves Domini nostri summa diligentia, sinceritate, pietate, si quis alias, pavit. Nec defuere qui olim censerent eum dignum et idoneum esse qui Episcopatu fungeretur, minimeque abfuit quin semel et bis episcopus eligeretur. Iamque Algome praeest, quae regio non ignavo homine eget! Est enim

non Baiae aliquae neque Cumae, ut ita dicam, ubi gens urbana per aestiva vacatione sese delectet—id tantum laboris atque mali plerique ibi cognoscunt!—sed deserta solitudo, rari coloni, undique saxa, paludes, glacies, nives, undique paupertas et inopia. Numquis inter haec omnia continuos labores obire vellet, nisi, Deo vocante, suam voluptatem utilitati Ecclesiae incolarumque saluti posthaberet? Deo gratias agamus qui bonis, qui devotis viris eam mentem inspirat ut Ipsius Consilia libenti animo perferant.

Praesento tibi virum Reverendissimum Georgium Thornloe, Episcopum Algensem qui ad gradum Sanctae Theologiae Professoris admittatur, jure dignitatis.

"Honora medicum" ait Ecclesiasticus "propter necessitatem." Quod si medicum, cur non etiam Dentarium? Pari enim necessitate dentes curantur qua totum corpus sanatur. Ceterum hic vir non solum dentes bene curat, sed quaestionibus in morem habitis cavit ne iuvenes, scientiae rudes et parum docti, hominum imprudentium gingivas lacerent distorqueantque. Quibus in rebus quum bene de hac Academia meritus sit, Defero tibi Carolum Vernon Snelgrove dignum qui in gradum Doctoris in Chirurgia Dentaria admittatur honoris caussa.

Alio quidem tempore et in alio loco offenditionis causa nescio quibus fuit nos gradus atque honores in Musica conferre; at ne quis in invidiam vertat si nunc eudem honorem digno viro merito tribuimus. Qui enim Ludo Musico, quem Conservatorium vocant, in hac urbe praeest, is profecto summis insignibus ornari oportet: qui ceteros Musicam docet, eum fas est Doctorem jure appellari; denique qui Collegium, huic nostro Consociatum, regit, eius nostri maxime refert ut ratio habeatur.

Defero tibi Edvardum Fisher dignum qui in gradum Doctoris in Musica admittatur honoris caussa.

Nihil habeo quod hunc hominem accusem praeterquam quod juris peritus sit. Constat enim id genus hominum improbius esse. At hic vir non, ita ut nomen cluet, traversus agitur, sed ut filium decet viri admodum reverendi Archeepiscopi nostri, bonarum rerum studiosus est. Etenim nova diocesi Ottawensi constituta, ille potissimum propter eximiam erga Ecclesiam voluntatem et singularem legum scientiam Cancellarius creatus est.

Defero tibi Johannem Travers Lewis dignum qui in gradum Doctoris in Jure Civili admittatur honoris caussa.

Quum consilia hujuscce Collegii habeantur, alii alio tempore absunt; Est autem qui nunquam sese subtrahit, qui nunquam petit ut sui ratio absentis habeatur, qui nullam absentiae caussam esse patitur; qui Collegii negotium suum putat, otiumque suum — neque est otiosus—Collegio suo dat deditque. Neque adest auditor tantum sed hortator in primis, neque sententiam modo tanquam de rebus alienis dicit, sed tanquam in suis gravissime ac firmissime causam defendit. Bonarum rerum auctor et suasor, nullam rem tam parvi aestinat cui non pariter maximis animis intendat. Est enim jurisconsultus et inter primos legum peritus, nec quisquam facilius atque accuratius rem diuidat, nec quid referat quid non referat, quasi natura, certius intelligit. Collegis opem implorantibus nunquam occupatus fuit, sed, vir magni laboris labore suum, vir continui negotii, tempus suum, vir studiosus studium suum, Aliae Matris necessitatibus contulit. Per novem annos Convocationi summa gravitate dignitate utilitate omnium prae-fuit, et est deceunvir vel quattuorvir vel—aliquotvir omni generi negotii confiucendo. Denique, ut brevi praeisdam, est ἀντρὸς τετράγωνος ἄνευ φύγου — quod vulgo "homo quadratus" vocatur—quales si plures haberemus, Res Publica melius rem gereret.

Defero tibi Johannem Augustinum Worrell, dignum qui in gradum Doctoris in Jure civili admittatur honoris caussa.

Mr. L. McLaughlin does not intend returning to College until after this term.